



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

1. De Euangelio Dominicæ: Ioann. 15. & 16. Cum venerit Paracletus, ipse testimonium, &c.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

*Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis. Et: Aduocatum habemus apud*  
 x. Ioan. 2. *Patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris? Congratulatio, gratitudo, fiducia, zelus perfectè seruiendi tam liberali remuneratori.*

I. **Dominica infra Octauam Ascensionis. Ioan 15. & 16.**

I. **C**um venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quam luculentum Spiritus sanctus Christo perhibuit testimonium, illuminando discipulorum, aliorumq; fidelium intellectum, & purgando, inflammando, confirmandoq; affectum, ut veritates à Christo reuelatas constanter crederent, & ad mortem vsque propugnarent, & doctrinae Evangelicæ in omni perfectione sectandâ, vitam moresque suos conformarent! Simili modo Apostolici viri Christo perhibuere testimonium hæc eadem ipsis à Spiritu sancto inspirata, alijs ver-

verbo & exemplo inculcando. Hos imitare in zelo gloriæ Christi, & salutis animarum propagandæ.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, absque synagogis facient vos.*

Quam sollicitè Christus suos de instantibus persecutionum procellis toties præmonet, ex incenso maioris eorum sanctitatis, gratiæ & gloriæ desiderio; ut sic à scandalo & lapsu præservarentur, & simul ad ardua quæque pro gloria Dei subeunda animarentur. Amor crucis, & martyrij desiderium.

III. *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Idem vehementius ijs inculcat, prædicendo eorum persecutores tam cæcos fore & impios, ut in persecutione piorum se arbitraturi sint Deo præstare obsequium; ne turbarentur videntes tantam suorum persecutorum insaniam & crudelitatem; nec mirarentur hæc permitti à diuina providentia, quæ ex pessima reproborum voluntate nouit elicere maximum bonum, ad maiorem suam, electorumq; gloriam. Admiratio & veneratio diuinorum iudiciorum, resignatio ad omnia, quæ Deus immittit, vel permittit.